Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Legenda Aurea - Cod. Aug. perg. 256

Jacobus <de Voragine>

[S.l.], [14. Jahrh.]

De sancto Iohanne elymon

urn:nbn:de:bsz:31-66161

Visual Library

opera indigeret. vocavit. Ille vero pulsu
eius tangens, et extrema morte imminere
illum esse cognoscens, dixit familie: Que
ad sepulturam sunt necessaria preparate, quia con-
tinuo morietur. Quod basilius audiens
dixit: Nescis quid dicas. Cui ioseph:
Crede mihi domine quia sol cum sole occidet hodie,
i. tu cum sole occides hodie. Cui dixit
basilius: Quid dices si non moriar hodie?
Cui ioseph: Non est possibile tibi. Et ba-
silius: Et si in crastino ad horam sextam
supervixero quid facies? Et ioseph: Si ad
illam supervixeris horam utique ego mori-
ar. Et basilius: Et moriaris peccato, vi-
vas autem christo. Et ille: Scio quid dicas. Et
si usque ad illam horam supervixeris faciam
que hortaris. Tunc beatus basilius licet secundum
naturam moriturus esset, a domino mor-
tis inducias impetravit, et usque in cra-
stinum in horam nonam supervixit. Quod io-
seph videns et stupens in christum credi-
dit. Basilius autem virtute animi imbecilli-
tatem corporis superans de lectulo sur-
rexit et ecclesiam ingrediens suis pro-
priis manibus eum baptizavit. Postea
vero ad lectulum suum rediens statim
spiritum deo reddidit feliciter. Floruit autem
circa annos domini ccc.lxx. De sancto iohanne

Iohannes elemosinarius elymon denoid
patriarcha alexandrinus quadam noc-
te in oratione positus vidit quandam puel-
lam pulcherrimam sibi assistentem et coronam
olive in capite habentem. Quam
ille videns nimium stupefactus que esset in-
quisivit. Et illa: Ego sum maria que dei
filium de celo adduxi. Me in sponsam ac-
cipe et bene tibi erit. Intelligens quod per o-
livam misericordiam designari ab illa die factus
est sic misericors ut elemosinarius i. eleo-
sinarius vocaretur. Pauperes autem semper suos

dominos appellabat. Et inde hospitalarii hu-
c pauperes vocant suos dominos. Omnes ergo suos
famulos convocavit eisque dixit: Circuite
per totam civitatem et conscribite mihi usque ad unum
omnes dominos meos. Illis vero non intelligen-
tibus dixit: Quos vos egenos et mendicos
vocatis illos ego dominos et auxiliatores
predico. Isti enim nobis veraciter auxiliari et ce-
leste regnum donare poterunt. Volens
homines ad elemosinam invitare nar-
rare consueverat quod pauperibus semel se ad
solem calefacientibus ceperunt invicem de
eleemosinatoribus conferre et bonos collau-
dare et malos vituperare. Erat qui-
dam theolonarius nomine petrus dives valde et
prepotens sed nimis pauperibus immisericors
quia ad domum suam accedentes cum indigna-
tione nimia repellebat. Cum ergo nullus
eorum invenisset qui in domo sua elemo-
sinam recepisset, unus illorum dixit: Quid
vultis dare mihi si ego hodie ab eo ele-
mosinam accipiam? Et facientibus cum eo pac-
tum ad domum eius venit et elemosinam pos-
tulavit. At ille domum rediens et pau-
perem pre foribus videns cum [illegible]
et panes siliginis in domum referret, ille
lapidem non inveniens panem unum sili-
gineum arripuit et cum furore inde eum
percussit. Quem pauper primus accipiens pa-
nem ad socios rediit et quod de manu eius
elemosinam accepit indicavit. Post du-
os dies infirmatus ad mortem vidit
se in iudicium stare et mauros ac de-
mones quosdam super stateram eius mala
appendere. Ex altera autem parte stare
quosdam dealbatos tristes stabant eo quod
nichil quod ibi apponerent invenire vale-
bant. Tunc unus eorum dixit: Vere nichil
habemus nisi unum panem siligineum quem ante
duos dies coactus ei dedit. Quem dum

super stateram ponerent equalitas fieret. et diceret ei adauge ad fulgorem hunc aliquid et mauri appenderet. Eulogius autem libenter dicebat. papę. Si una siligo quam pre frigore iactavi ita pensavit. quanto magis omnia que indigentibus elargior. Cum autem quidam optimis vestimentis indutus per viam pergeret quidam naufragus ab eo tegumentum aliquod postulabat. Continuo ille precioso vestimento se expoliavit. et illi dedit. quod ille accipiens statim vendidit. Cum autem thelonarius rediret et vestimentum suspensum videret contristatus est valde adeo ut nec cibum sumere vellet dicens. Quia non fui dignus ut mei memoriam haberet egenus. Et ecce dum dormiret vidit quendam super solem fulgentem et super caput crucem ferentem et habentem indutum vestimentum quod dederat egeno et dicentem sibi. Quid ploras petre. Qui cum causam sue tristicie sibi dixisset. Ille ait. Cognoscis hoc. At ille. Etiam domine. Et dominus ad eum. Illo ego vestior ex quo mihi dedisti. et gratias ago bone voluntati tue. quia frigore affligebar et cooperuisti me. Ille igitur rediens cepit egenos beatificare ac dicere. Vivit dominus non moriar donec fiam unus ex eis. Datis igitur pauperibus omnibus que habebat. et accito notario suo dixit ei. Secretum volo tibi committere. quod si propalaveris aut si me non audieris barbaris vendam te. Dans ei x. libras auri dixit ei. Vade in sanctam civitatem et tu emas tibi merces et me alicui christiano vende et precium pauperibus tribue. Illo autem recusante dixit ei. Si me non audieris ego barbaris vendam te. Duxit igitur eum ut dixerat cuidam argentario vestibus sordidis indutum tamquam

suum servum vendidit. et xxx. numismata inde accipiens pauperibus erogavit. Petrus igitur omnia officia vilia faciebat ita quod ab omnibus contemptui haberetur. et ab aliis conservis frequenter percutiebatur et iam amens appellabatur. Dominus autem frequenter sibi apparebat. vestimentum et numismata ipsum consolabatur. Imperator autem et universi de amissione tanti viri dolentibus. quidam vicini eius agitantes a Constantinopoli ad visitandum loca sancta venerunt et a domino ipsius invitati cum prandent ad invicem clam dicebant. Quam similis est puer iste domino petro thelonario. Et certo se respicientibus unus dixit. Vere iste petrus est. Surgam et tenebo eum. Quod ille audiens latenter fugit. Erat autem hostiarius surdus et mutus qui per signum hostium aperiebat. Cui petrus ut sibi aperiret non signis sed verbo imperavit. Et ille continuo audiens et loquelam recipiens sibi respondens ei aperuit. et domum ingrediens cunctis de eius loquela mirantibus dixit. Ille qui coquinam exiit et fugit sed videte ne servus dei sit. Cum enim mihi dixisset tibi dico aperi mox exorta est flamma existit que linguam et aures meas tetigit. et statim auditum et loquelam recepi. Et exilientes universi et concurrentes post eum ipsum amplius invenire non potuerunt. Tunc omnes de domo illa penitentiam egerunt eo quod talem virum sic viliter tractaverant. Monachus quidam nomine vitalis volens sanctum iohannem temptare si posset eum sub persuaderi et ad scandalum facile inclinari. ingrediens civitatem omnes publicas meretrices conscripsit. Ingrediebatur igitur ad illas per ordinem dicens cuilibet. Dona mihi noctem istam et noli fornicari. Ingressus autem domum eius in uno angulo

flexis genibus tota nocte in oratione stabat
et pro illa orabat. et postea mane exibat.
precipiens autem ne alicui reuelaret. V-
na autem vitam eius manifestauit. Cum-
que statim orante sene a demone uexari
cepit. Cui omnes dicebant. Reddidit tibi
deus quod meruisti quia mentita es. ut
fornicetur non ingrediebatur pessimus ille. et
non propter aliud. Et vespere autem sero dice-
bat presentes vitalis cunctis audienti-
bus. Volo ire quia talis domina expectat me.
Multis uero eum criminantibus. Responde-
bat. Numquid ego non habeo corpus ut omnes. aut
monachis solum iratus est deus. Vere et
ipsi homines sunt ut ceteri. Dicebat
autem quidam. accipe tibi mulierem unam
abba et muta habitum. ut non scandali-
zes alios. Ille autem fingens se iratum
dicebat. Vere non audiam uos. Recedite a me.
Qui uult scandalizari scandalizetur
et det de fronte in parietem. Numquid iudi-
ces constituit deus uos super me. Ite et
de uobis curam habete. uos pro me non redde-
tis rationem. Hec autem cum clamore dicebat.
Cumque ad beatum Iohannem querimonia defer-
retur. deus cor eius indurauit. ne hiis fidem
adhiberet. Deprecabatur autem deum ut post
mortem suam opus suum alicui reuelaret. ut
non imputaretur in peccatum hiis qui eum
scandalizabant. Multas igitur de predictis
mulieribus ad conuersionem perduxit. et in mo-
nasteriis plurimas collocauit. Quo-
dam mane dum ab una illarum egrede-
retur. obuiauit ei quidam ingrediens ad
fornicandum cum ea. qui dum sic ei alapam
dedit dixit. Vsque quo pessime non emendas
te ab hiis immundiciis tuis. Et ille.
Crede mihi accipies a me alapam talem
ut tota alexandria congregetur.
Et ecce post modicum dyabolus in

specie mauri sibi alapam dedit dicens.
Hec est alapa quam mittit tibi abbas vitalis.
Et statim a demonio uexatus est. ita quod ad uo-
cem eius omnes currebant. Sed tamen penitens
per eius orationem liberatus est. Vir autem dei morti a-
propinquans hec scripta reliquit. Nolite ante
tempus iudicare. Mulieribus autem confitentibus
que fecerat deum et papam beatus Iohannes dixit.
Utinam alapam quam ille accepit accepis-
sem et ego. Quidam pauper in habitu pe-
regrini ad Io. venit et ab eo elemosinam
postulauit. At ille uocato dispensa-
tore dixit. Da ei sex nummismata. Que
ille accipiens et abiens habitum muta-
uit. et iterum ad patriarcham rediens ab eo
elemosinam postulauit. Ille dispensato-
re uocato dixit. Da ei .vi. aureos. Cum
eos dedisset et ille abiisset dixit ei dispen-
sator. Per orationes tuas pater iste hodie homo
mutato habitu bis accepit. Beatus autem Io-
hannes se nescire dissimulauit. Item ille
tercio habitum mutans ad beatum Io. venit
et elemosinam postulauit. Tunc dispensa-
tor beatum Ioh. tetigit innuens quod ille
esset. Cui beatus Ioh. respondit. Vade et da ei
.xii. nummismata ne forte sit dominus meus
Ihesus Christus qui temptare me uelit utrum
plus. Quadam vice cum patricio quodam
pecunie quantitatem ecclesie in mercimoniis
ponere uellet. et patriarcha nullatenus
consentiret. sed pauperibus eam dispensare
uellet. ambo plurimum contendentes. ira-
cundi ab inuicem recesserunt. Adueniente uero
hora .xi. mandat patriarcha per archi-
presbiterum patricio dicens. Domine ad occasum
sol est. Quod ille audiens lacrimis infusus
ad eum uenit et ueniam postulauit.
Cum quidam suus nepos a quodam taber-
nario grauem iniuriam audiuisset et coram pa-
triarcha lamentabiliter conquerens nullate-

nus consolari velis patriarcham dominum. Et quomodo ausus es tibi ad contradicere et os suum contra te aperuit. Crede fili mi premittam quomodo faciam in te hodie tale ut tota alexandria miretur. Quod ille audiens consolationem recepit putans quod eum faceret graviter verberari. Videns Johannes quod consolationem recepisset, pectus eius osculatur et sic ait: fili, siquidem nepos humilitatis meae esse vis, prepara te ut possis flagellari et contumelias pati ab omnibus. Vera enim cognatio non ex carne et sanguine sed ex virtute mentis agnoscitur. Confestim igitur per hominem illo misit et ab omni pensione et tributo liberum eum fecit. Et omnes audientes mirati sunt et intellexerunt hoc esse quod dixerat: faciam ei talem rem ut tota alexandria miretur. Audiens patriarcha consuetudinem esse quod mox ut imperator coronatus est constructores monumentorum conditores sumunt iiii vel v minutias marmoris pusillas diversi coloris et ingredientes ad imperatorem dicunt: De quali marmore vel metallo iubes imperium tuum sibi fieri monumentum? Imitatus hoc beatus Johannes monumentum sibi fieri precepit, sed tamen usque ad obitum suum illud imperfectum reliquit. Ordinavitque aliquos qui ad eum cum in celebri festivitate cum clero consisteret accederent sibique dicerent: Domine, monumentum tuum imperfectum est. Precipe ut consumetur eo quod nescias qua hora fur veniat. Dives quidam cum videret beatum Johannem in stratu viles pannos habere eo quod ceteros pauperibus erogasset, quoddam valde preciosum coopertorium emit et beato Johanni tradidit. Cum autem illud nocte super se haberet tota nocte dormire non potuit cogitans quod CCC pauperes domini sui de tanto precio cooperiri possent. Tota igitur nocte lamentabatur et dicebat: Quanti incenati, quanti in luto pluviis madidi, quanti pre frigore et dentibus stridentes hodie dormiunt? tu vero grandes pisces devoras et in thalamo requiescis cum omnibus malis tuis, et super te coopertorio xxxvi numismata calefacis. Humilis Johannes alia vice hoc non velabit. Statimque summo mane illud vendi fecit et pretium pauperibus erogavit. Quod audiens ille dives ipsum coopertorium secundo emit et beato Johanni tradidit rogans ut ipsum deinceps non venderet sed super se ipsum teneret. At ille accipiens iussit iterum vendi et domus sue pauperibus pretium erogari. Quod ille dives audiens iterum abiit et ipsum redemit ac beato Johanni detulit eique gratulando dixit: Videbimus quis deficiet aut tu vendendo aut ego redimendo. Et sic suaviter quasi divitem illum vindemiabat dicens quod possit aliquis intentione dandi pauperibus divites taliter expoliare non peccat. Duo enim lucratur, videlicet et animas illorum salvat et alteram quam ex hoc ipse mercedem non modicam habet.

Volens Johannes ad eleemosynam singulos provocare narrare consuevit de sancto Serapione quod cum amictum suum pauperi tribuisset et alii obvians qui frigore periclitabatur tunicam suam tribuisset, et evangelium tenens nudus sederet, interrogatus est a quodam dicens: Abba, quis te expoliavit? et demonstrans evangelium ait: Iste me expoliavit. Alias cum alium pauperem videret, evangelium ipsum vendidit et pauperi pretium dedit. Cum autem interrogaretur ubi ipsum evangelium haberet, respondit: evangelium precepit dicens: Vade et vende omnia que habes et da pauperibus. Si ergo ego habebam et sic vendidi ut mandabat.

Cum audisset elemosinam petenti dari precepisset v. nummos, ille indignatus quia maiorem sibi elemosinam non fecisset, conviciis eum lacessere ac in faciem maledicere cepit. Quod eius famuli audientes in eum voluerunt irruere ac ipsum cedere. Quod beatus Johannes omnino prohibuit dicens: Sinite fratres sinite ut mihi maledicat. Ecce iam ego hodie lx annos blasphemavi per opera mea Christum et unum convicium non portabo ab isto? Iussitque sacculum afferri et coram ipso apponi ut tantum colligeret quantum vellet. Cum populus lecto evangelio ecclesiam exiret et foris ociosis ibi vacaret, quadam vice post eos patriarcha cum eis exiit et in medio eorum sedere cepit. Omnibus vero de hoc mirantibus dixit ad eos: Filii ubi oves ibi pastor: aut intrate et ingrediar aut manete hic et ego pariter manebo. Semel igitur et bis hoc fecit et sic populum stare in ecclesia erudivit. Cum quidam iuvenis sanctimonialem rapuisset et clerici talem iuvenem coram beato Johanne reprobarent et ipsum excommunicandum esse dicerent, ut puta qui duas animas perdiderit, scilicet suam et illius, compescuit eos sanctus Johannes dicens: Non sic filii non sic. Ostendo vobis quod et vos duo peccata committitis. Primo quia contra preceptum domini facitis qui ait: Nolite iudicare ut non iudicemini. Secundo quia nescitis pro certo si usque hodie peccavit et se non penituit. Frequenter autem existente beato Johanne in oratione et in extasi mentis posito talibus ibi disputare cum deo auditus est: Sic sic bone Jhesu, ego dispergendo et tu ministrando. Cum febre correptus se morti appropinquare cerneret, dixit: Gratias tibi ago deus quia exaudisti miseriam meam rogantem bonitatem tuam ut me moriente nisi unum tremissem non invenirent. Hunc igitur pauperibus dari iubeo. Positum est igitur venerabile corpus eius in sepulcro ubi corpora duorum episcoporum fuerant tumulata, et corpora illa mirabiliter sancto Johanni cesserunt et locum medium vacuum dimiserunt. Cum autem paucos dies antequam moreretur cuidam mulieri quoddam flagitiosissimum peccatum commisisset et nulli umquam confiteri auderet, dixit ei sanctus Johannes ut saltem describeret quod scribere sciebat et sigillatum ei afferret. Quod illa assensit et peccatum scribens diligenter consignavit et beato Johanni tradidit. Sed post paucos dies beatus Johannes infirmatus in domino requievit. Illa ut audivit illum defunctum se vituperatam et confusam putavit, credens quod scriptum alicui dimisisset et ad manus alicuius devenisset. Ad tumulum igitur sancti Johannis accessit et in lacrimis effusa clamabat dicens: Heu heu putavi confusionem vitare et facta sum omnibus confusio. Cumque amarissime fleret et beatum Johannem rogaret ut sibi ostenderet ubi nam scriptum suum dimisisset, ecce beatus Johannes in habitu pontificali de tumulo processit, duobus episcopis qui secum quiescebant hinc inde vallatus, dixitque mulieri: Cur nos tantum infestas et me et sanctos istos qui mecum sunt quiescere non permittis? Ecce stole nostre lacrimis tuis madefacte sunt. Porrexitque ei scriptum sigillatum sicut prius fuerat dicens: Vide sigillum hoc et aperi scriptum tuum et lege. Quod illa aperiens peccatum suum omnino deletum invenit et in talis scriptum reperit: Propter Johannem servum meum deletum est peccatum tuum. Sicque illa immensas domino gratias retulit et beatus Johannes cum aliis duobus episcopis in monumentum rediit. Claruit circa annum domini dc. v. tempore Foce imperatoris.

De conversione sancti Pauli. Denomine